virtuteq; confirmasti certissimum est argumen-
tum. Ego verò etsi in studijs levioribus etatem
consumpsi, cavi tamen sedulo ne cui perversae opi-
nioni mentem obstringerem, neq; unquam cu-
pidiorum hominum factioni assensum acco-
modavi. Et quamquam nunquam fui tam stul-
te arrogans, ut indoctis viris meum nomen
profiterer, semper tamen doctissimi quiq; pro-
biq; simillimi suum apud me semper magnum
pretium habuerunt. Quam mihi per Ben-
edictum Sartorium misisti tragoediam pen-
itus perlego, neq; ab ea pristinam manum, quã
penitus totam exuberto. In Graeca lectione
interdum haereo, sed bene est quod te nactus
sum quasi quendam Delium natatorem. Ad-
olescenti ipsi nihil esset optabilius, quam ut
ad studium intermissum reverti, sed nihil cogi-
ti conficere [illegible] potuit, patruum suum expec-
tat, ab illo si nihil fiet, veniam ut speret lo-
cum honestum Antwerpiae. Quod faciat in manu
τὰς ἐπείγει. Vale vir doctissime cum bone ...
in familia Bremae in schola. IX. Cal. Junij Anno
1581.

T. Dignitatis studiosiss.

Joannes Molang

36

S. In Dño. Reverende ac Clarissime Vir, Pater Colendissi-
me, quam incommodo tempore iter ingressus sit Rev: Dñus
M. Ulricus Kackius, reipsa expertus est. non tantum propter
aeris constitutionem miram: sed etiam propter adversam
valetudinem D. parentis: quem periculosissimè laborantem
ex crebris defluctionibus raucedine et catarris, reperit:
quae ita eum invaserunt, ut vix respirare, nedum cibum
commode sumere possit. Unde etiam factum, ne iis D.
M. Ulricum beneficiis prosequi potuerimus, quibus meriti
debuissemus. Adjunximus tamen ipsi nostrum con-

convictorem D. Leonhardum Plancum à V. E. ante hunc diem nobis commendatum: maximè cum etiam ipso D. M. Ulrico notus fuerit: à quo si quidam humanitatis officia accepisset gratissimum nobis esset. Agimus a E. V. gratias quas possumus maximas tum pro piissimis precibus, quas pro incolumitate ecclesiæ et Academiæ Cm. Vm. fundere indesinenter non dubitamus, tum etiam pro paterna cura qua angetur nostræ familiæ causa: quod ut E. V. constanter facere pergat, his nimirum periculosis temporibus, et hac infirmitate Parentis indesinenti et crebra etiam atque etiam rogamus.

Quæ vero E. V. de controversia Scholæ et Ecclesiæ est sententia: eadem et nostra est, negotium enim ad summum pervenisse fastigium, omnes animadvertunt: et adversarii non invitantur. Nec sanè quid ad priorem amarulentiam, convitia et ementitas calumnias accedere possit, boni plurimum addubitant. Interim in quam partem res declinet, quo adversarii tendant, prospicimus, sed num voti compotes fiant, brevi experiemur. D. Sturmius jam in suo prædio latitat, eventum expectans: et ut quidam de ipso affirmant, præsentem controversiam arbitris dirimendam tradi vult: quales verò ille arbitros expoptet haud obscurum est colligere: tales nimirum, quales in synodis et conciliis requirit, quos clariss. V. D. D. Osiander, in charta depingere: quam in terris multo reperire facilius esse affirmat.

Accepit ille hisce diebus ex Neapolitana Academia sua Scripta, quorum quatuor esse dicuntur duo latina: et totidem Germanica: Deus bone quæ inde prodibunt mala convitia, mendacia: ad quorum

memoriam

memoriam totus exhorresco. Benè tamen conscii qui sunt, falsis conviciis moveri non debent. Nec existimare plus ponderis in alieno esse convitio, quam in propriæ conscientiæ testimonio: ut rectè Ambrosius monet.

Porrò Exm V.m celare, quæ à quatuor civitatibus apud nostrum senatum, tentata fuere miramur: hoc scimus literas ejus argumenti, ut nuper scripsi missas esse: quæ certè præsidio adversariis extitissent, si consulem suis partibus faventem hoc anno haberent: quod tamen clementer avertit Deus.

Hæc sunt Rev: et Clariss. Vir, Charissime Pater quæ V. E. literis eruditissimis respondere volui: quæ ut in bonam partem E. V. accipiat, meque amare pergat vehementer peto. Nos vicissim E. V. à Deo O. M. longævam vitam, incolumitatem et vires confirmari augeri, et fulciri, nidesinenter precamur.

Salutem officiosam V. Excellentiæ, lectissimæ conjugi Clarissimo Viro D. D. Coccio, et symmystis omnibus ascribunt uterque parens D. Erasmus, D. affinis Doctor Georgius et domestici omnes. Benè in Dño V. E. valeat et vivat semper Amen. Dabam Argentinæ 8 Martii Anni 1581

E. V.

observantissimus filius
Ulricus Marbachius.

S. P. Litteras tuas cum summi officii benevolentiæque, tum admonitionis plenas singulari cum voluptate Prid Kal. May accepi et legi vir Nobilissime D. N. Ad quas dudum respondissem si non adversa valetudine impeditus fuissem. Ἐξ ἀταξίαν corporis experior et à bono corporis 37)